



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

20. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc; & transibit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

quasi moderna esset Catholicorum opinio, & non totius antiquitatis iudicium, quod homo impudens condemnat.

20. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc; & transibit.*

**C**A V E N D I sunt hic haereticorum commentarij, Caluini maxime, qui totum hunc Christi sermonem hyperbolicum esse pro certo affirmat. Sed certo certius est audentem haereticum certissime falli. Quum enim Christus hic loquatur non de vulgari omnium credentium fide, sed, vt Caluinus ipse faterur, de speciali seu particulari fide, quam fide miraculorū ille vocat, quūmo; fidei gradus sit, non fidei species, & de qua Paulus ait, *Alteri fides in eodem spiritu,* non est hyberbola, sed sermo proprius ac verus, quod quitali ac tanta fide praediti sunt, id est, feruenti & acri, sicut granum sinapis est, montes de loco transferent. Nam & Gregorium Neocasariensem Episcopū, maximi zeli & ardoris virum, qui in sua dicecesi quum nisi 17. fideles primum inuenisset, in ea moriens non nisi 17. infideles reliquit, montem de suo loco per hanc fidem transfutisse, post Eusebium in historia Ecclesiast. referunt Ruffinus ac Hieronymus in Catal. viorum illustrium. Non est igitur haec fides ad communem totius Ecclesiae fidem extendenda, vt vult Caluinus, sed est paucorum virtute praestantium singulare donum, vt Paulus recenset, nempe eorum qui vacui vitijs, liberi à perturbationibus animi, & soluti à curis seculi, ingentem animo fiduciam concipiunt, Deo que arctius adherēt, vt eleganter in hunc locum docet Euthymius. Tales erant

L 5 Martinus,

1. Cor. 12

Fides miraculorū.

Lib. 7.

cap. 25.



Martinus, Nicolaus, & alij, quorum tam stupenda miracula legimus. Talé denique fidem habere debét exorcista, vel ad eam proximè accedere, vt demones eijciant. Tali & tanto gradu fidei donati Apostoli faciebant signa & prodigia in plebe: sicut & Stephanus plenus Spiritu Sancto: id est, magna fide & fiducia plenus.

Act. 5.  
& 7.

21. *Hoc genus non eijcitur nisi in oratione & ieiunio.*

**D**O C E T Christus quoddam genus demoniorum, siue eorum à quibus vexati lunatici vocantur, vt quidam putant, siue eorum quæ iam diu quempiam possederunt, quod multo probabilius putamus, quia diuturna possessio & consuetudo difficilius tollitur, & iste demoniacus non solum lunaticus erat, sed diu admodum talis, non eijci sola fide vtcumque ardenti, sed adhibendam quoque esse orationem & ieiunium. Displicet Caluino hæc Christi doctrina, quia ieiunij prædicatio nullo modo ei placuit, nouoque commento totum Christi sermonem peruertit. Sensus, inquit, est non sufficere quamlibet fidem, vbi seriò præliandum est cum Satana, sed requiri strenuos conatus. Languori autem fidei remediũ præscribit orationem, cui ieiunium adiungit aduinculi vice. Ergo precibus docet excitandam esse fidem, & quia ad precandum tardi sumus, accedere debere subsidium ex ieiunio. Ita Caluinus totum fidei tribuendum censet. Vult Christum disputare de fide excitanda. Sed de ea Christus prius disputauerat, docens eam debere esse sicut granum sinapis, acrem & fortem, qua quia carebant tunc Apostoli, circa lunaticum hunc curandum, nihil efficere potuerunt, vt Christus disertè hic affirmat; dicens illis, *Propter incredulitatem vestram.*

Ieiunij  
& orationis  
virtus.